



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 98. Arragonensium Comitia Cæsaraugustæ a Carolo Austriaco celebrata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

§. XCVIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1518.*Arragonensium Comitia Cæsaraugustæ a Carolo Austriaco celebrata.*

Eodem anno Carolus Cæsaraugustæ Ordinum comitia habuit, in quibus duplex agitabatur controversia. Prima erat, quod Deputati etiam Ferdinando Infanti, tanquam proximo Monarchiæ hæredi fidei Sacramentum exsolvi peterent. Altera in eo sistebat, quod iidem Carolum non ut Regem, sed nonnisi ut tutorem, ac honorum Matris suæ, quamdiu mentis impos esset, administratorem agnoscendum contenderent; verum ambas hasce difficultates Cheuriensis, qui Carolum comitabatur, dexteritate sua adeo feliciter eluctabatur, ut cuncta ad Regis vota cederent, & Carolus honoribus omni expectatione amplioribus a cunctis exciperetur: Obviam enim ei processerant præter innumeram ferme Nobilium turmam duodecim primi generis Proceres, Regem suum comitaturi; advenerat is unacum quam plurimis Nobilitatis Castellanæ viris, qui eum ingenti pompa sequebantur, ipseque Cardinalis semper ejus latera stipabat, ac Rex in omnibus urbibus, præcipue vero Cæsaraugustæ, quæ Arragonici Regni Metropolis est, insolita prorsus magnificentia

ex-

Sæcul. XVI. excipiebatur. Post hæc ibidem in Regem
A.C. 1518. salutatus, diademate, quod in regio the-
 sauro asservari solet, coronatus est, re-
 gioque Paludamento, quod illi Joanna
 Mater ejus dono dederat, ornatus inces-
 sit, ubi rara hujus Principis benignitas
 omnium oculos, animosque in se rapuit,
 eoquod altera die, qua fidei Sacramen-
 tum receperat, plusquam mille homini-
 bus, præter eos, quibus alias id juris
 competit, dexteram suam osculo vene-
 randi copiam fecisset.

§. XCIX.

*Cæsar Imperii Romani successionem in
 Ferdinandum suum Nepotem fir-
 miter transferendi cupidus.*

Tandem Ferdinandus Caroli Frater
 Viennam pervenit, tamque feliciter
 Maximiliani Cæsaris amicitiam sibi de-
 vincere novit, ut ejusdem animo eadem
 instillaret consilia, quibus olim Rex Ca-
 tholicus optaverat, ut huic Principi Au-
 striæ Patrimonium relinqueretur. Igi-
 tur Cæsar cunctas, quas Austriaca Do-
 mus in Germania possederat, ditiones
 Ferdinando cedere, eumque in Imperii
 Romani successione firmare, animo con-
 stituit, hancque in rem comitia, æstare
 prope transacta, Augustæ celebranda
 indixit. Ea re percepta Carolus Cardi-
 nalem